

XVIII
F. 609



EPISTOLA
URBIS VALENTIÆ

AD SANCTISSIMUM PATREM

CLEMENTEM XIII.

QUA PETIT, UT JUSSU EJUS PERAGATUR

CAUSSA BEATIFICATIONIS VENERABILIS, ET ILLUSTRISSIMI,

JOANNIS PALAFOXII ET MENDOZÆ,

Episcopi Uxamensis, &c.

SANCTISSIMO PATRI

CLEMENTI XIII.

PONT. MAX.

SI unquam apud Te, Beatissime Pater, preces nostræ valere, quas certe semper benignissime exaudisti; nunc optamus vehementer, ut iis indulgeas. Agitur enim de Servi Dei fama restituenda; de Dei Optimi Maximi gloria, & etiam de Tua. Ex omni enim Christianorum numero, nemo ad hunc diem fuit, qui æque ac Venerabilis Dei Servus, Joannes de Palafox & Men-

Mendoza, Illustrissimus olim Angelopolitanus
Episcopus, & postea Uxamensis, tot, tam gra-
ves, tam insolentes, & injustas vexationes per-
tulerit pro Dignitate Episcopali tuenda; quique
etiam temporali vita jam defunctus tot calum-
nias sustinuerit ab immanissimis hostibus, qui
veluti Terræ filii, ausi omnes immane nefas in-
fandum ei bellum indixerunt ut illum de coelestis
sede ad inferas Terrarum Orbis cavernas de-
jicerent atque detruderent. Quamobrem, cum
Sanctuarii statera penes Te sit, cujus est appen-
dere & perpendere Christianorum merita ad
justam eorum æstimationem; a Te enixe peti-
mus, ut in hac causa in qua agitur de illius
Christiani Herois fama, examinari jubeas ejus-
dem Virtutes Christianas, & facta mirabilia
Naturæ vires superantia, ut Te illa comproban-
te, innocentissimo Viro fama integra restitua-
tur; Omnipotenti Deo merita laudes contri-
buantur; Tibi vero gratias immortales Chris-
tiani omnes referamus, & præcipue Carolus
Tertius Rex noster, egregius Servi Dei obser-
vator, qui Te annuente, ejusdem cupit esse
Cultor cum universo Christiano orbe. Cui exi-
mio beneficio Apostolicam Tuam benedictio-
nem

nem adjungas quæsumus, quam submissis ani-
mis expectamus, Tibi prospera omnia a Deo
Optimo Maximo humiliter petentes. Valentia
Edetanorum in ipso Urbis Senatu IV. Kalend.
Decemb. anni a Christo nato M.DCCLXVII.

BEATISSIME PATER,

Sanctitatis Tuæ Pedes osculamur

Don Ferdinandus de la Mora Velarde, Don Antonius Paspual & Garcia de
Pro-Corrector Urbis Valentia. Almonia, Rector perpetuus.
Don Vincentius Guerau de Arellano, Don Franciscus Benedictus Escuder,
Rector perpetuus. Rector perpetuus.
Don Onuphrus Danvila, Don Maurus Antonius Oller & Bom,
Rector perpetuus. Rector perpetuus.

Don Thomas Tinagero & Vilanova, Secretarius.

Jht. Imprimatur.
D. Miranda, Vic. Gen.

Imprimatur.
Caro.

Valentia: In Typographia Benedicti Monfort ana. M.DCCLXVIII.